DE SACRIS ARCANIS

ANGELICAE ANNUNCIATIONIS

ET CHRISTI CONCEPTIONIS

IN UTERO VIRGINEO

LIBER QUINTUS

HOMILIA PRIMA.

Permultis rationibus ostendimus valde congruum fuisse, angelum, non hominem ad Virginem mitti; decuisse tamen, ut sub effigie humana ei appareret. Deinde Gabrielis nomen illustramus, ac supremum illum omnium coelestium spirituum esse, nonnullis coniecturis, et Patrum testimoniis suademus; ac tandem, quantum intersit ad negotia pertractanda prudentis nuntii industria uti, edocemus, in illa verba: Missus est angelus Gabriel a Deo.

Divi Bernardi vestigia sequens, qui (*ser.* 4. *super Missus*) inquit: *Lubenter ubi mihi congruere video, verba sanctorum assumo, quo vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quae in his lectori apposuerim:* placet perpulchram hanc, ac dulcissimam Marianae annunciationis tractationem, verba Sancti Patris nostri Bernardini (*ser.* 2. *c.* 3. *de glor.nom.Mar.*) mihi usurpans exordiri: *Non est facultatis humanae, dilectissimi fratres, quamdiu in hoc mortali corpore vivitur, plene pertingere ad laudem gloriosae Virginis, Matris Dei, quae omnium hominum, et voces excellit, et superat intellectum. Quis enim mortalium, nisi divino illustratus oraculo, de unica Dei, et hominis Genitrice quidquam modicum, seu grande praesumat edicere, immo non timeat hanc pollutis labiis nominare? quam Matrem misericordiarum, et ante saecula Deus perpetuam praedestinavit in Virginem dignissimam, Filius praeelegit in matrem, Spiritus sanctus novae gratiae domicilium praeparavit? Quibus laudibus servitus hominum reginam efferet angelorum? quae praeconia dilatet mortalis angustia, vel officia subministret, cui coelestia parent, et famulantur obsequia? quis dignam honoribus plausus hominum acclamabit in terris, quam spirituum agmina beatorum iugiter venerantur in coelis?* Sane celsitudo ineffabilis huius argumenti humanae intelligentiae altitudinem, et totius vincit eloquii facultatem; adeo ut excellentissimis ingeniis, et facundissimis linguis longe sublimior sit. Sed gaudendum nobis potius, quam erubescendum est, quod tanta superemur materiae dignitate; Dei tamen auxilio freti, *a quo omnis nostra sufficientia est*, ut Pauli verbis loquar (1. *Cor.* 3), sacra, quae delitescunt in angelica annunciatione sacramenta, aperire aggrediar. Et quidem in primis, quanti illa momenti, ponderis, et gravitatis fuerit, neminem latere poterit, qui mittentis maiestatem, Virginis, ad quam mittitur, sanctimoniam, nuncii missi excellentiam, rei nunciatae altissimum arcanum, salutationis inauditum eloquium, Mariae nominis dulcissimam appellationem, illius ad incarnationem sapientem, ac maturum consensum, verborum prudentiam pariter, et humilitatem, quibus illum expressit, ac tandem temporis, ac loci scatentes mysteriis circumstantias attente perpenderit. *In mense sexto*, ait sacer evangelista (*Luc.* 1): ecce valde consentaneum tempus: *missus est angelus Gabriel:* ecce nuncii coelitus missi excellentiam: *a Deo*: ecce maiestatem mittentis: *in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth:* ecce singularem loci, et ipsius civitatis nominis circumstantiam: *ad Virginem desponsatam viro*: ecce celsitudinem, et statum Mariae cui fit nunciatio: *et ingressus angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena:* ecce inauditum salutationis eloquium. *Quae, cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat, qualis esset ista salutatio:* ecce in turbatione verecundiam, et in cogitatione, et deliberatione Mariae sapientiam: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ecce insignem Mariae castimoniam, et virginitatem: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* ecce ineffabile incarnationis sacramentum Mariae reseratum: *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* attende hic prudentem, ac humilem Mariae responsionem, per quam internum suum consensum luculenter expressit: *et discessit angelus ab ea*: ecce angeli profectum, ut redeat ad mittentem illum, postquam munere suo iam plene functus fuerat. De his omnibus, Deo dante, disseremus; in hac tamen prima homilia sermonem tantum texemus de Deo mittente, et angelo misso, in illa eiusdem Lucae verba: *Missus est angelus Gabriel a Deo.*

Cum opera Trinitatis ad extra sint indivisa, ut loquuntur theologi, certe cum Lucas ait, missum angelum fuisse a Deo, missum utique intelligi debet a tota Trinitate; non tamen, quomodo alii mittuntur, qui cum aliquid nunciant, illud immediate accipiunt a superioribus angelis illos illuminantibus: nam, ut inquit magnus Dionysius Areopagita (*lib. de coel. hier.c.*8): *Id divina, et aeterna lege, atque ordine sancitum est, ut per prima secundis divini fulgoris radius influat;* sed speciali privilegio, et praeter Dei consuetudinem, teste d. Bernardo (*hom.* 1. *in evang. missus.*), nullius angeli interventu, sed Deo ipso immediate revelante, arcanum Mariae annunciandum accepit: *Non ab alio*, inquit, *aliquo forte excellentiore se, ut assolet, spiritu, sed ab ipso Deo mitti Gabriel perhibetur: propter hoc ergo positum est, a Deo*: unde et addit: *Vel ideo dictum est ab evangelista missum Gabrielem a Deo, ne cui, vel beatorum spirituum, suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat archangelo Gabriele, qui utique tantae inter suos inveniri potuerit excellentiae, ut tali, et nomine dignus haberetur, et nuncio:* in qua etiam sententia video fuisse d. Chrysostomum (*apud Metaphr. orat. de annunc.*), qui Deum introducit haec verba ad angelum Gabrielem loquentem: *Placet, ut virtutes omnes, quae in coelo sunt, mysterium hoc lateat, et tibi soli sit manifestum.* Addo, consulto evangelistam dixisse, *missus est a Deo*, non solum ad maiestatem mittentis significandam, sed, ut ostenderet, quod Gabriel non ingessit se, prout familiare est malignis spiritibus: satanas enim ingessit se, ut acerrime tentaret Iobum: et in os prophetarum se immisit, ut mendacia prophetarent, prout legimus lib. 3. Reg. 13; ad cuius imitationem pseudoprophetae se se non vocati, velut lupi in ovilia, obtrudunt, ut grassentur, iuxta illud Ieremiae (*c.* 22): *Currebant, et non mittebam eos:* non sic angelus Gabriel, sed *missus a Deo* dicitur, *qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem,* ut ait regius Vates (*Psal.*103). Licet autem cuipiam videri possit, consentaneum fuisse rationi, ut ad annunciandum Deum futurum esse hominem, nuncius homo assumeretur: missio enim humani nuncii ad Virginem egregie quidem adumbraret missionem Filii Dei ad eandem, ut ex ea humanam carnem assumeret; convenientius tamen, et congruentius multo, angelum fuisse Mariae missum a Deo, rationes non paucae aperte convincunt, quarum primo loco, quas Patres tradidere, tamquam potiores apponam, deinde a nobis excogitatas subiungam. D. Hieronymus (*ser. de assumpt.*), quem ad id citat doctor Thomas ait: *Bene angelus ad Mariam virginem mittitur; quia semper est angelis cognata virginitas: profecto in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis:* cum ergo b. Virgo, plusquam angelicam, ac coelestem ageret vitam, conveniens erat, spiritum angelicum, et coelestem ei paranimphum mitti. Secundam rationem tradit venerabilis Beda in haec verba: *Aptum humanae restaurationis principium, ut angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanae fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam:* ut enim egregie d. Chrysolog. (*in ser.* 141) adnotavit: *Ut homo cursibus eisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam, agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina, ut nostrae perditionis initio conveniens nostrae reparationis principium responderet.* Tertiam rationem, eamque subtili Chrysologi ingenio dignam, ipse ibidem his verbis scripsit (*ibid.*): *Audistis fragilem nostrae carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam angelica exhortatione roborari: sicut enim Christus interdum per angelum confortari voluit, sic decuit Virginem.* Itaque sicut Christo ad depellendam agoniam, ut ait evangelista (*Luc.* 22): *Et factus in agonia, prolixius orabat*, missus fuit angelus confortans; ita Virgini, ad propulsandam futuram eius turbationem, *turbata est in sermone eius*, missus fuit angelus de coelo, illam corroborans, et timorem ab ea fugans: *ne timeas Maria.* Quarta ratio est, quia licet b. Virgo superior esset angelis quantum ad dignitatem, ad quam divinitus electa erat, sed quantum ad statum praesentis vitae inferior erat angelis, ut docet d. Thomas (3. *p. q.* 30. *art.* 2. *ad primum*): erat enim viatrix, illi comprehensores; constat autem secundum doctrinam Dionysii (*de coel.hier.c.*4. *et* 7), decere, ut arcana a superioribus inferioribus revelentur: igitur oportebat, Mariam de divino conceptu in utero eius celebrando, non per hominem, sed per angelum instrui. Quinta ratio, quia cum Deus non angelicam, sed humanam naturam assumere decrevisset, Apostolo dicente (*ad Heb.c.*2): *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit:* conveniens erat, ut ad supremum incarnationis sacramentum, saltem interventorem angelum vocaret, ut sic tanti mysterii nunciatione angelica natura honoraretur. Sexta ratio, quia proprium est angeli custodis illuminare personam a se custoditam; angelus autem Gabriel custos erat b. Virginis, ut tradunt d. Ildephonsus (*ser. de assump.*), b. Petrus Damianus (*or.*1. *de tra. Virg.*), Abulensis (*in Matth. c.* 18. *q.* 60), et Udalricus (*apud Dion. Carth.*). Ultima ratio sit: nam si Deus olim misit Raphaelem ad curandam infirmitatem, Gabrielem ad liberandos captivos, Michaelem ad expugnandos hostes; congruentius erat, ut mitteret angelum ad annunciandam eius incarnationem, qui ad omnia illa incomparabiliter

excellentius praestanda venturus erat, ut per Isaiam ipse praedixerat: *Spiritus Domini super me, ut mederer contritis corde:* ecce infirmitatis humanae curationem: *et praedicarem captivis indulgentiam:* ecce captivorum liberationem: *et diem ultionis Deo nostro:* ecce diram hostium expugnationem. Nec quidquam derogat dignitati Mariae, quod idem angelus Gabriel nuncii munere functus fuerit apud alios longe illa inferiores: non diffiteor, missum fuisse Danieli, Zachariae, Iosepho, et pastoribus, necnon Annae, et Ioachino eius viro, teste Pantaleone diacono, ut refert Simeon Metaphrastes (*de Annunc. Mariae*); tamen huiusmodi apparitiones ad mysterium incarnationis in virgineo utero celebrandum ordinabantur: unde Danieli revelavit tempus incarnationis; Zachariae nativitatem Ioannis, qui praecursor futurus erat Verbi incarnati; Iosepho, ut omnino certum illum redderet, sponsam eius Mariam virtute Spiritus sancti Filium Dei concepisse: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est;* pastoribus tandem, ut Christum ex Maria natum annunciaret: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi.*

Licet autem nuncius salutationis angelicae coelestis spiritus esset, sub corporea tamen pulcherrimi viri specie Virgini apparuit, ut testantur d. Ambrosius (*li.* 1. *de off. c.* 8. *et lib.* 1. *in Luc.*), Eusebius (*homil. super Missus est*), Petrus Chrysologus (*ser.* 140), Hieronymus (*to.* 1. *ep.* 7. *ad Laetam de instit. filiae, et ep.*22. *ad Eustoch. de custod. virginit.*), Origenes (*hom.* 4. *in Luc.*), et Augustinus, qui (*serm.*14. *de nativ. tom.* 10) dixit: *Venit ad me Gabriel archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis.* His persimilia tradit b. Laurentius Iustin. (*ser. de Annunc.*) dicens: *Insolito fulgore vestitus angelus in humana effigie descendit ad Virginem:* consonant eisdem alia Alberti magni dicentis: *Angelus venire debuit in veste clara; maximus hic splendor eam decebat legationem, ex qua totius orbis splendor est ortus, foeminis fulgentes apparuerunt angeli; si illis coruscantes visi sunt angeli, cur non Virgini?* maxime, quod si legati pretiosa veste induere consuevere, cum oportet, eos regem, ad quem missi sunt, alloqui; conveniens erat, ut coelestis legatus sub humana effigie ex aere assumpta, Reginam coeli alloquuturus, radianti amictu se exornaret. Eius duplicem optimam rationem docuit Angelicus Doctor (3.*p. q.* 30. *art.* 3. *in corp.*), quia, cum invisibilis Deus visibilem carnem assumere veniret, congruum erat, ut invisibilis spiritus sub visibili carnis forma Virgini appareret: atque ita quia antiquae angelorum apparitiones Patribus in veteri lege factae, ad hanc Verbi divini in carne humana apparitionem praefigurandam, ac delineandam ordinabantur, sub humana forma ab angelis fiebant. Deinde, quia congruum erat dignitati matris Dei, ut quia non solum in mente, sed in corporeo ventre Filium Dei receptura erat, ideo non solum mens eius, sed corporeus eius sensus angelica refoveretur visione. Existimo autem cum d. Athanasio (*lib. quaest. ad Antioch.q.*12), b. Virginem, non solum corporali sensu externam angeli effigiem vidisse, sed et pulcherrimam illius substantiam mentis oculis conspexisse: verba eius sunt haec: *Sola sancta Deipara Virgo nudam essentiam Gabrielis archangeli contemplata est.* Consentit eidem Albertus magnus (*super Missus c.* 109), dicens: *Fuit in Virginis anima species propria, quam habuit dispositive per naturam, completive per gratiam: et secundum hanc vidit angelos, et animas, et daemones.* Scio s. Thomam (3. *p. q.* 30. *art.* 3. *ad* 2) huic sententiae refragari, dum ait: *Fuisset nobilior apparitio, si ipsum angelum Virgo intellectuali visione in sua substantia vidisset: sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod angelum per essentiam videret,* sed nihil sane inconvenit, ut quod status viatoris de lege ordinaria non patitur, id speciali Dei privilegio illi conferatur. Collatum autem fuisse Virgini hoc genus privilegii id satis persuadet, quod in gestis, et vita sanctorum non semel reperimus, visas fuisse illorum animas magno splendore coruscantes in coelum ab angelis assumptas; unde de b. Benedicto scriptum legimus apud d. Gregorium (2. *Dialog.*): *Inter manus discipulorum effavit animam, quam duo monachi euntem in coelum viderunt.* Neque obstat, si quispiam dicat, minime turbatam fuisse Virginem, si clare substantiam ipsius angeli cognovisset, cum sanctum eum esse agnosceret: nam nodus hic bifariam solvi potest. Primo si dicamus, non statim a principio salutationis essentiam angeli vidisse, sed post turbationem transactam, cum angelus timorem ab ea repulit, dicens (*Luc.* 1): *Ne timeas Maria.* Secundo, quia turbatio eius ortum habuit ex eo quod, cum humilissima esset, et nihil magnum de se cogitaret, admirata est, quod *plena gratia* nuncuparetur, et mater Dei efficeretur: *turbata* enim *fuit,* ait evangelista, *in sermone eius:* hinc autem orta turbatio compossibilis erat cum clara cognitione ipsius angeli.

Porro iam qualitatem angelici nuncii ad Mariam missi, diligenter scrutemur: et, ut rem altius repetamus, ab eius nomine, si placet, exordiamur: ut enim dixit Venerab. Beda (*super c.* 1. *Luc.*): *Ideo angeli ex nomine aliquando signantur, ut ex ipso, quid ministraturi veniant, demonstretur. Gabriel dicitur fortitudo Dei, quia illum nunciabat, qui ad debellandum diabolum veniebat:* eandem interpretationem acceptat d. Hieronymus (*de nomin. hebr.*) dicens: *Gabriel significat, confortavit me Deus, aut fortitudo mea Deus.* Teophylactus (*in cap.*1. *Luc.*) explicat, idem significare Gabriel, quod *vir Dei.* Prochus autem episcopus Cyzicinus, ut habetur in synodo ephesina, inquit: *Idem Gabriel sonat, quod Deus et homo. Quia ergo ille, quem annuntiabat, Deus erat, et homo, rei miraculum nominis notione anticipat.* Atque hinc est, quod cum in mysterio incarnationis mirum in modum suam fortitudinem ostentaverit Deus, iuxta Mariana illa verba (*Luc.*1): *Fecit potentiam in brachio suo;* arbitror hanc Prochi circa Gabrielis nomen expositionem minime ab ea dissidere, quam Beda assignavit: unde Cardinalis Toletus ait: secundum peritos linguae sanctae Gabrielem significare idem quod *Deus vir;* utramque tamen interpretationem paucis complexus mihi videtur David, dum cecinit (*Psal.*45): *Dominus virtutum nobiscum:* ecce virtutem, et fortitudinem: *susceptor noster, Deus Iacob:* ecce Deum, factum hominem per susceptionem carnis humanae, iuxta illud quod canit Ecclesia ex Ambrosio, et Augustino: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.* Sed dicet quispiam: cum nihil infirmius, ac debilius sit carne, ut ait Isaias (*cap.*40): *omnis caro foenum,* certe Deum carnem induere, non fortitudinem, sed infirmitatem potius redolere videtur: conveniens ergo videbatur, ut angelus, incarnationis mysterium annuncians, vocaretur *infirmitas Dei* potius, quam *fortitudo Dei:* per humanae enim carnis susceptionem fortis factus est infirmus, immortalis mortalis, et impassibilis passibilis: at si rem attente perpendamus, facile deprehendemus, Deum infirmam carnem assumendo, fortitudinem suam valde ostentasse: nam sicut, quanto fortissimus dux vilioribus, et infirmioribus armis congrediens cum hoste, illum devincit, tanto magis fortitudo eius effulget, et gloriosior prodit eius victoria; ita, dum Filius Dei infirmae carnis mortalitate indutus, omnes tartareas legiones profligavit, et spolia, invitis illis, et reluctantibus, ab eisdem extorsit, tanto eius fortitudo magis innotuit. Ad eum certe modum, quo in figuram, et typum eius (*lib.* 1. *Reg.* 17) legimus, in eo valde Davidis victoriam emicuisse, quod non Saulis galea aenea, lorica ferrea, aut ancipiti gladio accinctus, certamen contra Gigantem iniret, sed funda solum, quinque lapidibus, et baculo illum facile expugnaverit. Arbitror tamen non propterea solum convenienter missum fuisse angelum Gabrielem, qui *fortitudo Dei* interpretatur, quia in mysterio incarnationis Deus brachium suae potentiae mirifice ostentabat, sed quia nuncium deferebat Virgini, de qua praedixerat Salomon (*Prov.*31): *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius:* vel, ut vertunt LXX. *Pretiosior est lapidibus magni pretii,* et Pagninus: *longe distat a margaritis pretium eius:* Originale hebraeum: *longinquum ab unionibus pretium eius:* et Vatablus: *mercem habet gemmis procul petitis pretiosiorem:* opus quidem fuit b. Virgini invincibilis fortitudo, utpote cui incumbebat antiqui serpentis caput conterere, grassantes haereses interimere, libidinem nostram virginitatis suae voto extirpare, ac tandem ingens illud difficultatum agmen superare, quae angelicae annunciationis tempore animam eius pulsarunt: magna enim difficultas erat, gravidam futuram esse in domo sponsi, a quo minime fuisset agnita; magna difficultas, virginitatem, et maternitatem simul in eadem sede morari; magna difficultas, ut Verbum caro fieret, et immortale mortalitatem indueret; magna difficultas, ut quem coeli capere non poterant, angusto Virginis utero clauderetur; ac tandem non modica, immo omnium acerrima difficultas invincibilem Deum vincere, et inflexibilem, ad parcendum humano generi flectere, adeo ut sic diligeret mundum, ut Filium suum ei daret. Haec autem ultima huius difficultatis victoria perexcellens adeo fuit, ut beatissima Virgo de illa se gloriari non dubitaverit, dicens (*Cant.* 8): *Ego quasi murus, et ubera mea, quasi turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens:* quasi diceret: postquam difficultatem illam reconciliandi hominem cum Deo superavi, merito genus humanum inexpugnabilis muri, ac invincibilis turris, et fortissimae arcis illustri nomenclatura me honorare, et cohonestare potest. Consueverunt olim Romani in olympicis ludis, et in luctatorum pugnis, varios honores victoribus deferre, ut, coronam in capite, palmam in manu, corpori splendidum vestimentum, currum etiam triumphalem, quo veheretur, vicenti exhibere; at illud honoris genus reliquos superabat, quando ad victoris ingressum urbis murus rumpebatur, ut tradit Svetonius. cuius ritus rationem reddidit commentator Persii, dum ait: non enim opus est muro civitati, viros habenti, qui possint pugnare, et vincere. Ut ergo beatissima Virgo nobis manifestaret se invincibilem, ac indefessam nostram protectricem esse, tam ab ira divina genus humanum defendens, quam ab infestatione diabolica illud eripiens, fortissimo muro se comparavit, adeo quidem inexpugnabili, ut eam nec partus, qui materni uteri maceriem semper perfringere solet, minime irruperit. Gloriosius enim fuit Christo Domino, clauso et incolume virginei claustri muro in hanc lucem intrare, quam Romanorum victoribus aperto, et disrupto urbis muro, illam ingredi: recte ergo ait Maria (*Cant.*8): *Ego quasi murus;* sed non solum ob id, sed quia etiam cunctas, quae in acceptanda dignitate Matris Dei difficultates latebant, limpidissima cogoitione penetrans, ad eas omnes divina virtute superandas se accinxit, cum consensum suum praebens, dixit (*Luc.*1): *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.*

Sed iam de excellentia coelestis paranimphi Gabrielis sermonem instituamus, id supponentes, quod Chrysost. (*hom. de incomprehens. Dei natura*) monet, volitantem illum a pictoribus delineari, non quod Deus pennatum illum condiderit, sed ob sublimes, et excelsas coelestis naturae vires, atque ut illum a supremo domicilio ad terram nostra causa devenisse gratis animis reputemus; hac enim ratione Chrysol. (*ser.* 142.) dixit: *Ad Virginem Deum aligerum portatorem misisse.* Est igitur hoc supposito inter Patres controversia, an tanta fuerit eius excellentia, ut inter beatos omnes spiritus supremum sibi locum vindicet, an solum inter archangelos summus eorum sit. Hoc secundum docuere multi Patres: d. Greg. (*hom.* 34. *in evang.*), dum ait: *Hi, qui minima nunciant, angeli, qui vero summa annunciant, archangeli vocantur: hinc est enim, quod ad Mariam Virginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur:* d. Bernardus (*li.* 5. *de consid. c.*4.) similiter inquit: *Putemus angelis praeesse archangelos, qui nonnisi ob maximas, et praecipuas causas mittuntur, ex quibus magnus ille archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam utique, qua maior esse non potuit:* d. Thomas (3. *p. q.* 30. *a.* 2. *ad* 4.) horum Patrum sententiam sequutus, dixit: *Satis credibile est, quod*

sit summus in ordine archangelorum: eidemque adstipulantur d. Irenaeus (*lib.5.adv.haer.c.2.*), Ambrosius (*li.1.de Spiritu S. cap.* 7), Augustinus (*ser.14.de nat.Dom.*), Card. Caiet. (*super* 3. *p.q.*30.*q.*2), et Episcopus Abulensis (*in Matth. c.*18.9.60): potestque haec sententia variis rationibus fulciri. Prima, quia, ut auctor est d. Dionysius, angelorum ordines, et hierarchiae, officiis et ministeriis distinguuntur: ait enim: *Neque alicui fas est operari, nisi quod officii sui divina sanxit institutio*; ex omnibus autem ordinibus duo ultimi infimae hierarchiae ad custodiendos homines, vel res, quae ad illos pertinent, annunciandas, destinati sunt, ita tamen, ut infimus angelorum ordo ad res inferioris ordinis; archangelorum autem ordo ad altiora mysteria manifestanda ordinetur. Gabriel ergo, qui ad annunciandum incarnationis mysterium missus est, ex hac hierarchia fuisse credendus est: nec enim opus erat, hunc hierarchicum ordinem perverti, sed sufficiens erat, ut quia ad annunciandum supremum omnium mysteriorum mittebatur, supremus esset in ordine eorum, qui divina lege ad annunciandum destinati erant. Secunda ratio, quia Michael superior angelus est ad Gabrielem, ut adnotarunt d. Hieron. (*c.*8. *Daniel.*), Basil. (*hom. de angelis*), et Rupertus (*l.*5.*in Apoc. in prin.*), et non obscure significat Ecclesia, dum in publicis precationibus, atque in litaniis praeponit illum Gabrieli. Tertia ratio, in qua d. Thomas praecitato loco magnam vim facit, est, quod Ecclesia catholica illum archangelum vocat, non cherubinum, aut seraphinum; putat igitur ad archangelorum ordinem pertinere, qui multo inferior est illorum ordine. Quarta ratio moralis est, quia hac admissa sententia, ad componendos hominum mores, illa egregia, ac salutaris erui potest doctrina, unumquemque scilicet eligi debere ad munus exercendum suo ordini deputatum: nam si alios eligas ad exercenda munera, quae ex officio illis non incumbunt, praetermissis illis, ad quos ea prestare iure spectat, reipublicae ordo pervertitur, ingentesque rixae, odia, et querimoniae in ea excitantur. Unde videmus, quod cum voluit rex Ozias incensum adolere super altare thymiamatis, Azarias sacerdos, et cum eo pariter omnes sacerdotes, acriter ei in faciem resistentes, dixerunt (2. *Paral.* 26): *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris:* cumque iratus Ozias nollet relinquere thuribulum, et persisteret, ut adoleret incensum, et minaretur sacerdotibus, statim a Deo lepra percussus est; quo non obscure monemur, ne alienum officium nobis arrogemus, nisi Dei vindictam subire velimus.

Ceterum Gabrielem, supremum inter omnes beatos spiritus esse, nonnulli docuere, ut auctor est d. Thomas (3.*p.q.*30*a.*2.), dum ait: *Quidam dicunt, Gabrielem fuisse de supremo ordine angelorum, propter quod Gregorius dicit: Summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat:* tuenturque ex professo hanc sententiam Card. Viguer. in suo decachordo (*c.*2), et Coelestinus (*super Missus ser.* 4), qui ad id adducit d. Damascenum dicentem: *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter angelos:* indeque verosimilis fit haec sententia, cum in re dubia, et incerta coniecturis locus sit dandus. Primo, quia consonum erat dignitati tanti mysterii, ut supremus absolute omnium angelorum esset, cui suprema legatio supremi absolute omnium mysteriorum committebatur. Secundo, quia, ut docuerunt d. Chrysost. (*apud Metaph. ora. de ann.*), et d. Bernar. (*hom* 1. *super Miss*), ponderantes verba illa Luc. *c.*1.*missus a Deo:* certe angelus Gabriel immediate absque interventu superioris angeli legationem suam accepit a Deo, quod quidem proprium est supremi omnium angelorum; nam reliqui a superioribus angelis immediate illuminantur, ut frequenter docet d. Dionys. (*de cael. hier.*). Quod si dicas, praeter ordinariam legem, et ex speciali privilegio, Deum immediate per se legationem illam angelo Gabrieli revelasse, et ut etiam reliquos angelos lateret, et non quia supremus esset omnium angelorum, fas etiam nobis erit dicere, praeter legem communem, et ex speciali privilegio, Deum non misisse Virgini angelum ex destinatis ad negotia nuncianda, sed excellentissimum omnium elegisse ad excellentiam, et maiestatem mysterii significandam, ita ut propterea non supremum in officio nunciandi, sed absolute omnium maximum mitteret. Tertio, quia Isaias ait, missum fuisse ad illum seraphinum: *Et volavit ad me unus ex seraphim*, ut illum erudiret, et eloquentem redderet ad verbum Dei annunciandum; convenientius ergo multo erat, supremum seraphinum ad Virginem mitti, ut eam instrueret, quae Verbum divinum, non annunciare, ut ille, sed humana carne induere debebat. Huic Isaiae loco si adiungas verba d. Pauli (*ad Heb.*1.): *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi:* necnon etiam illa Gregorii Nazianzeni (*tract.*2.*de theol.*) dicentis: *Quidam Graecorum apprime in Scripturis eruditus, seraphinas virtutes quasdam in coelo esse exponit, quae ante tribunal Dei assistentes, laudant eum, et ad diversa mysteria mittuntur*; facile inde colliges, non esse praeter communem Dei legem, ut seraphin etiam ad extraordinaria quaedam, et magni momenti negotia aliquando, licet raro, mittantur: ut, et de angelis disputantes, expresse docuere Alex. Alens. et Altisiodorensis. Et quidem mihi mirabile non est, Deum supremum seraphinum ad Mariam salutandam misisse, qui Filium proprium suum ad eam ex eius visceribus incarnandum mittebat: non enim famulus maior est domino, sed e contra. Quarto, quia Gabriel missus fuit ad instruendam Virginem, quae dignitate, et gratia omnes angelorum ordines longe superabat: decebat ergo, non per infimae hierarchiae angelum, sed per supremum omnium illam instruere. Quod autem in publicis Ecclesiae precationibus Michael praeponatur Gabrieli, firmum argumentum non est, illum ei superiorem esse: nam propterea in Ecclesia militanti praefertur Michael, quia princeps a Deo, et universalis eius protector constitutus est, sicut et olim custos erat synagogae Hebraeorum; in Ecclesia vero triumphanti

Gabriel primatum habet super illum. Et quidem Michaelem non esse omnium coelestium spirituum supremum, verba ipsius Gabrielis apertissime indicant, cum dixit: *Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium meum:* ecce non ait, primum, sed, unum de primis. Addo etiam, consulto Ecclesiam, non absque latenti mysterio, Gabrielem in secundo, et non in primo loco constituisse, ad significandum annunciationis illius arcanum, nimirum, non primam, sed secundam Trinitatis personam humanam carnem suscepisse pro reparando damno per secundam culpam illato, quae fuit Adae peccatum, quo secundam naturam intellectualem, nempe, hominem, infecerat. Ac tandem ex eo quod Gabriel archangelus ab Ecclesia compellari soleat, nulla solida ratio potest deprehendi ad inferendum, non pertinere ad supremum ordinem: nam etiam Ecclesia Michaelem, nunc angelum, nunc archangelum, nunc principem angelorum vocat; sicut enim nomen angeli et commune est omnibus coelestibus spiritibus, et infimo ordini accommodatur; ita etiam nomen *archangeli*, quamquam una significatione proprium sit secundi ordinis infimae hierarchiae, tamen alia ratione universaliori omnis angelus, qui primatum aliquem habet inter coelestes spiritus, archangelus vocari potest: manifestum autem est, non constare, sub qua significatione Gabrieli ab Ecclesia archangeli nomen tribuatur. Quare pie satis a multis creditur, non minoribus exornatum fuisse dotibus, quam illum, quem propheta Ezechiel (*c.* 28) variis coloribus depinxit, dicens: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus, operimentum tuum, sardius, topatius, et iaspis, chrisolythus, et onyx, et berillus, sapphirus et carbunculus, et smaragdus: aurum opus decoris tui, et foramina tua, in die, qua conditus es, praeparata sunt. Tu Cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ambulasti, perfectus in viis tuis in die conditionis tuae:* quibus rebus aperte significat, Deum ingentem donorum cumulum in hunc angelum contulisse. Doctissimus etiam Canis. Gabrielem commendans (*l.*3.*de Deip. c.*1) eleganter dixit: *Ingentem profecto huius angeli laudem esse necesse est, qui a summo Deo dilectus, ad summum conficiendum negotium in terras destinatur, quique Domini sui legantis mandato ad unguem parel, ac iniuncto munere in tota legatione sedulo perfungitur, ut evangelicae gratiae ad communem salutem hominum, prima quodammodo iaciat fundamenta. Quid illo nuncio expeditius? quid tali monitore sapientius? quid hoc procuratore fidelius? qui de arcanis coelestibus in conclavi Virginem invisit, salutavit, instruxit, remque totam a piis omnibus, tot saeculis, vel maxime desideratam, rite confecit*; haec ille.

Quod si Deus optimus maximus nuncium ad Mariam mittendum elegit, non quemcumque, sed sapientissimum, et disertissimum, discant inde homines, maxime advertendum fore, quemnam ad peragenda negotia mittant: Sapiens namque ait (*Prov.*13): *Legatus fidelis, sanitas:* quia proculdubio aegritudo, et sanitas negotii tractandi pendet ex prudentia, et fidelitate legati: si enim fuerit prudens, res proculdubio pro votis succedet; si autem fuerit prudentia destitutus, imprudentia eius rem perdet. Hinc rursus pervenusta collationum congerie significat Salomon, quantum adferat nocumenti rebus nuncius insipiens: *Dens*, inquit (*Prov.*25), *putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiae, et amittit pallium in die frigoris.* Cum tribus rebus maxime observandis componitnuncium imprudentem, cum dente putrido, cum pede lasso, cum homine, qui maximo premente frigore, non habet pallium, quo se a frigiditate tueatur. Perelegantes istae sunt comparationes: nam quemadmodum ab homine, ex cuius ore ob dentium foetorem faciem avertis, quod non possis eius graveolentiam ferre, immo haec est miseranda hominis exhalantis ex ore foetorem poena, ut cuncta eius, vestes, esca, et denique quidquid tangit, foetere indicemus; ita res missa per nuncium stultum foetere dicitur, quoniam minime conceditur, quod per legatum insipientem petitur. Hunc etiam bene componit Salomon cum pede lasso: quoniam qui pede lasso iter facit, priusquam homiuem adeat, cum quo res tractanda est, vel alii praeiere, et beneficio, ad quod sitibundus anhelabat, amittens, illi adepti sunt, vel occasio ad illud consequendum amissa est. Demum bene cum homine amittente pallium in die frigoris, componit nuncium stultum, et imprudentem: quia, quemadmodum is homo torporem quendam incurrit, et eum inertem reddit frigus, ita ut nihil agere valeat; ad eundem modum insipiens nuncius nihil potest efficere, aut concludere. E contra vero prudentem, et fidelem nuncium eleganter componit cum frigore nivis, tempore messis, et aestatis, quo sitibundus maxime frigiditate recreatur: *Sicut frigus*, inquit (*ibid.*), *nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit.* Quis non videat, nuncios esse praecipua rerum instrumenta ad eas peragendas? igitur, si instrumentum ineptum sit, qui fieri poterit, ut res bene efficiatur? si aurifex ad sculpendam imaginem ligneo utatur malleo, aut lapide impolito, quid boni poterit efficere? ferrea, eaque bene apparata, necessaria sunt instrumenta, alioquin opus, et impensam perdet. Patriarcha Abraham daturus uxorem charissimo filio suo Isaac, misit nuncium, qui hac de re ageret in Mesopotamiam ad urbem Nachor, non tamen quemdam sine discrimine, sed servum seniorem domus suae, quem prudentia, et fidelitas evexerat ad aeconomiam omnium bonorum illius: neque contentus est Abraham, experimento longo cognovisse prudentiam, et fidelitatem huius famuli, sed ultra progressus, iuramento obligavit eum, ut uxorem adduceret ex regione, in qua ortus fuerat ipsemet patriarcha. Eximia prophetae Nathan prudentia in adipiscendo regno David Salomoni, nobis etiam est exemplo, qui ita rem peroravit apud regem, ut eius animum alliceret, ad eligendum, contempto Adonia, Salomonem in regem. Abigail etiam ea facundia loquuta est ad regem David, ut ex iracundo placidum, ac placatum redderet Davidem, ne vindictam sumeret de Nabal Carme-

li: huius verba non refero, ne longior texatur oratio. Ceterum verba referam Davidis respondentis foeminae Abigail (1. *Reg.* 25.): *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, ut ulciscerer me manu mea. Alioquin, vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem.* Denique illi dixit (*ibid.*): *Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam.* O admirandam foeminae prudentiam! huius non erat dens putridus, sed favus distillans labia eius ad demulcendum Davidis animum; pes non fuit lassus, sed maxime festinus, et velox: non pallium abstulit a viro suo Nabal, ut frigore torperet, sed eius mira prudentia, veluti pallio contegit, ne David supplicium ab eo sumeret. Hanc in negotiis peragendis necessariam valde prudentiam dignetur nobis Dominus infundere, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Angelicae legationis ad Mariam variae circumstantiae loci, et temporis, multiplici eruditione exornantur, et varia, quae in eis arcana latent, deteguntur in illa verba Lucae: In mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth.

Si, ut latinum fert proverbium: *Dimidium facti, qui bene coepit, habet;* dimidium sane huius orationis iam factum arbitror, cum a verbis d. Bernardi (*hom.* 1. *de annunc.*) dicere incipiam: *Quid sibi voluit evangelista tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? credo, quia noluit nos negligenter non audire, quod tam diligenter studuit enarrare: nominat siquidem nuncium, qui mittitur, Dominum, a quo mittitur, Virginem, ad quam mittitur, sponsum quoque Virginis, amborumque genus, civitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Ut quid hoc? putas ne, aliquid horum supervacue positum est? nequaquam: si enim, nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre coelesti cadit super terram, putem ego de ore sancti evangelistae superfluum defluere verbum, praesertim in sacra historia Verbi? non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac coelesti singula dulcedine redundantia; si tamen diligentem habeant inspectorem, qui novit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo;* haec ille. Ne tamen a doctrina tanti Patris recedamus, placet allegoricam interpretationem, quam ipse tradidit, exponens historiam Abrahae mittentis nuncium ad quaerendam sponsam filio suo, his quae mihi dicenda sunt, texere. Narrat sacra Geneseos historia (*cap.* 24.), quod Eleazar famulus Abrahae ex eius praecepto perrexit ad quaerendam sponsam Isaac filio domini sui, qui tandem perveniens ad puteum quendam, ecce adfuit ei pulchra Rebecca, a qua ipse postulans aquam, illa liberaliter ei respondit, dicens, non solum ei, sed et famulis eius libenter daturam; indeque ipse cognovit, illam esse sponsam, quam quaerebat, et idcirco dixit (*Gen.*24): *Ipsa est, quam preparasti servo tuo Isaac.* Abraham, qui senex erat, et interpretatur *pater altissimus*, aeternum Patrem praesignat, qui *antiquus dierum* vocatur; et ipse est Pater eius, de quo angelus dixit (*Luc.* 1): *Filius Altissimi vocabitur.* Eleazar nuncius Abrahae Gabrielem aeterni Patris nuncium in Nazareth missum ad vivum exprimit, quia sicut ille sponsam filio domini sui quaesivit, ita Gabriel Matrem Filio Dei, ac Domini sui diligenter invenit: quam cum primum vidit, et audivit, merito dicere potuisset illud idem, quod Eleazar (*Gen.*24): *Ipsa est, quam praeparasti servo tuo Isaac,* idest Christo, per Isaac figurato. Rebecca, de qua sacer textus ait: *Puella decora nimis, virgo pulcherrima, et incognita viro,* Mariam pulchram, ut lunam, et virginem a viro incognitam: *quoniam virum non cognosco,* egregie adumbrat: sed non solum ob id, verum etiam, quia sicut Rebecca petitioni Eleazar continuo annuit, plus ei offerens, quam postulaverat, ita b. Virgo Gabrieli consensum ab ea efflagitanti, ut Mater Dei vellet esse, illa consensit non solum, ut Mater, sed ut humilis esset Dei serva, dicens (*Luc.* 1): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* In eo etiam suam liberalitatem ostendit, quia sicut famulo Abrahae a Rebecca postulanti aquam de hydria ad bibendum, illa respondit (*Gen.* 34): *Bibe Domine mi, quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant*: non dissimiliter b. Virgo omnibus, tam coelicolis, quam terrigenis aquam salutarem de hydria sua dedit, ut biberent, et sitim extinguerent: Filius Dei sitiebat carnem assumere ex castissimis eius visceribus; angelus sitiebat consensum eius, ut fieret in ea Verbum caro; Patres in sinu Abrahae latentes *in lacu, in quo non erat aqua*, hanc aquam avidissime desiderabant; peccatores, velut cameli, peccatorum pondere pressi, et vehementer defatigati, salutarem hanc aquam, qua abluerentur, ardenter cupiebant; ipsa autem liberalius, quam altera Rebecca, omnium istorum vota explevit, Bernardo (*ses. de verb.Apoc.*12), dicente: *De plenitudine eius accipiunt omnes, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus laetitiam, tota Trinitas gloriam, persona Filii carnis substantiam.* Ac tandem, ut nihil in hac figura consonum non sit mysterii veritati, perpendenda sunt verba illa, quae dixit Abrahamus (*Gen.* 24) servo suo Eleazari: *Proficiscere ad terram meam, et ad cognationem meam.* Olim quidem videbatur Deus in coelo cum angelis tantum agere, et humanae carnis consortium dedignabatur: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est* (*Gen.* 6): coelum incolebat: *Coelum coeli Domino* (*Ps.*113): terram despiciebat: *Lux vultus eius non cadebat in terram* (*Iob* 29); at ubi in praefiniti temporis plenitudine, iam miseratione motus, clementiae suae oculis terram nostram benigno aspectu intuitus fuit, noluit quidem angelicam naturam coeli habitatricem, sed humanam terrae cultricem sibi in unitatem personae copulare, Apostolo dicente (*ad Heb.* 2): *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit:* quod non immerito dicam cognationem habere cum Deo, eodem Paulo attestante (*Act.* 17): *Quoniam Dei genus sumus.* Possumus etiam dicere per terram hanc, quam Deus vocat suam (*Gen.*24): *Proficiscere ad terram meam,* b. Virginem intelligi: quia sicut terra infimum est omnium elementorum, et inter omnia illa firmissimum, et immobilissimum est, pariterque foecundissima omnium frugum mater existit; ita b. Virgo, tanquam omnium humillima, atque in propria aestimatione sibi ipsi vilescens, infimum omnium locum tenebat, et tamquam omnium fidelissima, multis apostolis in fide vacillantibus, ipsa tanquam immobilis columna catholicae fidei, firmissima semper perstitit; ac tandem velut foecundissima terra, ut Sapiens dixit (*Sap.* 7): *Omnium bonorum mater est:* fructumque illum super omnes benedictum nobis peperit, de quo Isaias (*c.*4): *In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terrae sublimis, et exultatio:* hunc locum refert doctor Gregorius (*homil.* 13) ad mysterium incarnationis, per quod Filius Dei factus est nobis fructus terrae; sed *sublimis*, et *elevatus*, quia non solum super homines, sed etiam super angelos elevatus est, et supra ipsos etiam regnat in coelo: *Tanto melior angelis effectus,* ait Paulus (*ad Heb.* 1), *quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Sed in eo videri duas Christi generationes, hoc loco insinuavit Propheta, unam, qua germen Domini est, et ex substantia Patris ante saecula genitus, plenam omni magnificentia, et gloria, per quam Pater Filio omnem suam substantiam, et omnem gloriam dedit; alteram, qua germen, et fructus terrae benedictae est, ex substantia matris in saeculo natus; iuxta quod per Isaiam (*c.* 45) dicitur: *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem:* terra enim virginea manens incorrupta, signata, et integra, soli Spiritui sancto aperta est, ut in ea, atque ex ea carnem assumeret Dei Filius, et fieret fructus terrae, germen David, quod per Ieremiam (*c.* 33) antea promiserat dicens: *Germinare faciam David germen iustum*: quod *germen iustum* adeo iustum fuit, et fructus terrae ita sublimis, ut ipse sit Redemptor, et Salvator mundi, angelorum rex, coeli, et terrae Dominus, et nobis ex illo fructu terrae sublimi non solum laetitia, et exultatio, sed et omnium bonorum copia, et abundantia proveniat: *Visitasti terram*, inquit David (*Ps.* 61), de hoc annunciationis mysterio agens, *et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam:* Mariae terram Dominus visitavit, quando missus est ad eam angelus, dicens ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* tunc enim, et illam miserabiliter, et nos misericorditer visitavit ex alto solio divinitatis suae; nec solum visitavit, *sed inebriavit hanc terram, et infudit se in eam*, quam implevit gratia, et Spiritu sancto, ut germinare eam faceret Filium Dei secundum carnem.

Porro, iam huius coelestis legationis varias circumstantias, sacramentis plenas, parumper contemplemur. Et quidem ab ea, quae temporis est, exordientes, quamvis ex fide catholica certum sit, hoc extitisse discrimen, quoad temporis circumstantiam, inter Christum, et reliquos homines, quod hi nascuntur sub dominio temporis, et eidem subiecti, Christus vero conceptus, et natus fuit dominus universorum temporum; unde est, quod illi non fuerunt concepti, quando voluerunt, Christus vero suae conceptionis tempus elegit. Quare, cum ipse probe agnosceret, quodnam magis congruum, et opportunum tempus esset ad humanam carnem in utero Virginis induendam, consequens est, nullum aliud excogitari posse congruentius, et opportunius, quam illud, in quo reipsa conceptus fuit. Nobis tamen, quos huius facti congruentia latet, licebit varias eius rationes diligenter indagare: nam, ut egregie observavit d. Gregorius (2.*Mor.cap.*2), quoties in sacris eloquiis temporis circumstantia adnotatur, credendum est, latere ibi aliquod sacramentum; unde inquit, quod cum evangelista (*Ioan.*10) signanter dixit, *hyems erat*, praenotare voluit, quod cum Hebraeorum corda in festo renovationis templi ferventiori devotione incalescere debebant, tunc temporis magis frigebant, quam soleant in hyeme homines frigere. Similiter cum d. Ioannes de negatione Petri agens, adiecit, quod tunc charitatis igne valde indigebat. Quando item Moyses narrans, quomodo Abraham egressus est de domo sua ad suscipiendos in ea peregrinos, sub quorum figura tres angeli ad eum diverterunt, adnotat certe id accidisse *in ipso fervore diei*, ut pium, ac ferventem Abrahae animum in peregrinis hospitio suscipiendis commonstraret: simili ergo ratione, dum sacer evangelista tempus angelicae legationis praenotavit, dicens (*Luc.*1): *Sexto autem mense*, consequens est, non absque mysterio id fuisse. Est ergo rationi consonum, ut, quae in eo latent, aperiamus; prius tamen de anno, quam de mense, die, et hora dicamus.

Quo anno a creatione mundi facta fuerit angelica legatio, et Christi conceptio, non est una omnium opinio, quin potius, quot capita, tot video sententias: nam, ut refert Coelestinus, quidam putarunt illam fuisse post tria millia, et septuaginta annos a mundi creatione: alii post 3963: alii post 4000: alii post 4110: alii post 4200: alii post 4300: alii cum Francisco Suarez (*tom.* 2.3 *p.disput.* 12.*sess.*4.) docent, incarnationem celebratam fuisse quater millesimo fere anno a creatione mundi, anno 2. Olympiadis 124. Alii cum doctore Ioanne de Roa (*de annis mundi, tab.quar.*) contendunt, Christum conceptum anno a creatione mundi quater millesimo septuagesimo secundo dimidio anno ablato, idque egregio di-

scursu comprobant. Alii cum Beda (*de ratione temp.*) factam autumant anno quinquies millesimo centesimo nonagesimonono. D. Hieronymus putat, angelum venisse ad Mariam in sexto millenario: quam opinionem sequutus Illuminatus doctor ait: *Sicut in sexta die formavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam; ita etiam in isto senario formavit Deus illum hominem, qui est imago Dei, et eius similitudo expressa secundum apostolum: et sicut die illo fuit homo lapsus, ita isto millenario fuit reparatus: et sicut in isto anno agebatur septuagesima secunda generatio ab Adam, sic iste homo septuaginta duos discipulos habuit.* Confirmat idem d. Bonaventura (*super cap.* 1. *Luc.*) dicens: *Quod sicut homo primus fuit conditus ad totius mundi complementum sexto die, sic secundus homo, scilicet Christus, incarnatur sexta aetate, et sexto millenario ad totius creaturae perfectionem.* Quaenam autem ex his sententiis veritatis scopum attingat, non est praesentis muneris discernere; mihi sufficit in re dubia varia doctorum placita retulisse.

Ceterum de mense, quo facta fuit angelica haec legatio, certos nos reddit sacer evangelista, dum ait, *in mense sexto* missum fuisse angelum Gabrielem: in quae verba communi consensu omnes interpretes adnotant, non fieri ibi enumerationem mensium a primo anni mense, sed a conceptu Ioannis Baptistae, de quo paulo ante egerat: in quo sane, licet obiter id dicam, magnum Ioannis Baptistae encomium detego, cum a conceptione eius mensurari incipiant dies illius, qui cum esset aeternus, et immensus, caduci temporis mensura pro nobis mensurari voluit: siquidem apud omnes nationes in magno honore habita sunt principia, a quibus gesta numerari solent: unde Romani soliti fuere, computationem facere a primis suae patriae aedificiis, *ab urbe condita*: Iudaei numerabant a liberatione aegyptiacae captivitatis; et nos christiani a Christi nativitate: insignis ergo Ioannis laus est, quod ab eius conceptione coelestis legationis, et Christi conceptionis tempus computetur, angelo dicente (*Luc.* 1): *In mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo.* Hunc autem sextum mensem martium fuisse, unanimi consensu docuerunt Patres, nempe Athanasius (*q.* 13. *ad Antio.*), Chrysostomus (*ser. de Ioan. Bap. et hom.* 1. *in Luc.* 2), Augustinus (*lib.* 4. *de Trin. c.* 5. *et l. q. ex novo test. q.*55.), Rupertus (*l.*3. *de div. offi. cap.* 19), Beda (*super Luc.*), Aymon (*ibid.*), Ambrosius (1. *Examer. cap.* 4), Irenaeus (*lib.* 4. *con. Valentin.*), Anselmus (*lib.*1. *de fide cap.*7), Lucidius (*de mutat. temp. l.*1. *c.*2), Hector Pyntus (*in* 1. *Ezech.*), et alii permulti, quos longum esset percensere. Congruentiae autem huius mensis cum mysterio incarnationis in eo celebrato variae, ac multiplices occurrunt observatione dignissimae. Prima, quia cum Christus Dominus principium esset, et origo, ac perennis fons omnium nostrorum bonorum, conveniens erat ad id significandum, ut conciperetur in mense martio qui primus est anni sacri. Apud Hebraeos enim duo erant annalia principia, alterum anni vulgaris, cuius initium fuit mensis *Tisri*, septembri respondens; alterum anni sacri, cuius initium *Nisan*, qui nostrum martium attingit: *Mensis iste*, ait Dominus (*Ex.*12), *idest Nisan, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*, anni, inquam, sacri. Secunda, quia oportebat, ut recreatio, et reparatio hominis responderent eius creationi: ut enim dixit Hugo Cardinalis (*sup. Lucam*): *Solent eo tempore potissimum adhiberi remedia, quo vulnera sunt inflicta*; homo autem creatus fuit in mense martio, ut praecitati Patres adnotant, et in paradiso collocatus, ac inde propter peccatum expulsus; congruebat ergo, ut secundus Adam, primi reparator, eodem mense conciperetur, et in amoeno illo virginei uteri paradiso collocaretur, ut sic homo a terreno paradiso expulsus in coelestem introduceretur. Tertia, quia mense martii fuit liberatus populus israeliticus ab aegyptiaca captivitate, et eductus per Moysen, transiens sicco pede per mare rubrum; quae liberatio umbra erat, et typus redemptionis humani generis a diabolica servitute per Christum in carne venturum. Quarta, quia eodem mense, ut tradit d. Ambrosius (*lib. de Noe, et arca*), diluvii aquae cessarunt: unde ut significaretur per Verbi incarnationem diluvium inundans divinae iracundiae, homines absorbens, iam cessasse, merito mense martii concipi debuit Christus Dominus. Quinta, quia, cum in mense martii sol sit in ariete, apte satis Christus Dominus in eo concipi elegit, quia ipse veniebat, ut tamquam aries in ara crucis cruento sacrificio mactaretur, et tamquam hostia pacifica Deo offerretur, instar illius arietis inter vepres haerentis, quem Abraham loco filii sui Isaac Deo in monte Moria sacrificavit, qui Christum spinarum vepribus coronandum praesignificabat. Sexta, quia in hoc eodem mense martii fit aequinoctium, ut observavit d. Chrysostomus (*hom. de nat. Ioan. Bapt.*), in quo sunt aequales dies noctibus; in eodem deinde dies crescit, nox vero decrescit; ut ergo nobis insinuaret, Christum Dominum ad aequalitatem Deo Patri pro peccatis generis humani satisfacturum, et a iustitiae aequalitate numquam recessurum, iuxta illud Ieremiae (*c.*23): *Suscitabo David, idest Christum, germen iustum, et faciet iudicium, et iustitiam in terra*: et ut ostenderetur, felici eius adventu abigendam esse veteris legis umbram, fugandasque Gentilium tenebras, splendidam vero evangelicae doctrinae lucem maiora in dies incrementa suscepturam, congrue valde in mense martii concipi voluit Salvator mundi. Septima, quia, cum hoc mense martii terra flores germinare incipiat, coelum suum rorem mittere, infirmos a pravis humoribus purgari, duces, et milites ad bellum accingi, iuxta illud (2. *Reg.* 11): *Tempus, quo solent reges ad bella procedere*; merito quidem eodem tempore Christus noster Redemptor concipitur, qui de seipso ait (*Cant.* 2): *Ego sum flos campi, et lilium convallium*: et qui a Patribus antiquis *ros* vocatus est (*Isai.* 45): *Rorate coeli desuper*: et qui peritissimus medicus ad purgandas animas, Apostolo dicente (*Heb.* 1), ipsum *purgationem peccatorum facere*: et qui tandem ad debellandum humani generis hostem, ac principem te-

nebrarum longe ab Ecclesia eiiciendum (*Ioann.* 12): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: armis nostrae mortalitatis accinctus veniebat. Octava, nam, ut docet d. Isidorus (*lib.*5. *Ethym.*), martius appellatur a Marte, romanae gentis auctore, et interpretatur, *mensis novorum*, seu *novitatum*: conveniebat igitur tali tempore concipitur Redemptor mundi, christianae gentis auctor, cuius illa sunt verba (*Apoc.*12): *Ecce ego nova facio omnia*: nova quidem, quia salutatio angeli nova; prolis conceptio nova; virginitatis cum maternitate copulatio nova; Dei cum carne unio nova; Verbi incarnati exinanitio nova; viatoris, et comprehensoris in unum coniunctio nova; ac tandem nova omnis creaturae innovatio. Quoto autem mense a desponsatione sua cum beatissimo Iosepho conceperit? quarto quidem mense, respondet Driedo (*lib.* 3 *de Dogmat. tract.*3. *cap.* 5), quod etiam sentiunt Patres, teste doctore Suarez (3. *par. tom.*2. *quaest.* 29. *disput.*7. *sect.*3. *in princ.*).

Sed iam de die, quo facta fuit angelica Mariae annunciatio, et Christi conceptio, disseramus. Quamvis d. Augustinus (*serm. de nativ.*) arbitratus fuerit, Christum Dominum conceptum fuisse in die dominica; communior tamen, et acceptior Patrum sententia affirmat, tam Mariae annunciationem, quam Christi conceptionem fuisse vigesima quinta martii, feria sexta: ita docuerunt Rupertus (*l.* 3. *de div. offi. c.* 19), d. Antoninus (4. *p. sum. theol. tit.* 15. *c.*9. § 4), s. Athanasius (*lib. q. ad Ant. q.*17), s. Irenaeus (*l.*5. *con. Valent.*), d. Anselmus (2. *de fid. ad c.* 7), d. Ambrosius (1. *Examer. c.* 4), Chrysostomus (*ser. de Io. Bapt.*), et moderniores communi consensu. Congruentiam autem huius ex duplici capite deprehendere possumus; primo ex creatione primi hominis: sicut enim terrenus Adam formatus fuit ex terra virginea sexta feria, ut sacra nos docet Geneseos historia, ita congruum erat, ut coelestis Adam ex matre virgine eadem sexta feria conciperetur; sicut eadem etiam mortuus est, ut mors conceptioni, finis principio responderet; unde Rupertus (*lib. de div. of. c.*19) dixit: *Christus feria sexta conceptus est, die, qua veterem formavit Adam de limo terrae, novum sibi reformare coepit hominem Deus, de pura carne Virginis Mariae, eadem die redempturus mortis passione.* Secundo colligere possumus aliam congruentiam, si credimus Lucidio (*de vero pass. die*) asserenti, illo anno novilunium mensis primi Nisan incidisse in diem 25 martii, certe Christus convenientissime conceptus fuit in utero materno, die coniunctionis lunae cum sole, cum tunc verus Sol iustitiae lunae, idest Mariae, per carnis assumptionem intime coniunctus fuerit. Hinc coniice, longe relegandam temerariam Matthaei Beroaldi opinionem, asserentis, Christum natum esse mense septembri in aequinoctio autumnali, ac consequenter incarnationem Filii Dei factam esse in medio mensis decembris; ad cuius opinionis confutationem, praeter venerandam tantorum Patrum sententiam, satis est sanctae matris Ecclesiae consuetudo, quae vigesimam quintam diem mensis martii annunciationi huic angelicae ad beatissimam Virginem nuncupavit; necnon et concilium Florentinum in decreto Eugenii quarti, ubi Armenis praescribit, ut illo die festum annunciationis celebrent.

De hora tamen, qua facta fuit divina haec legatio b. Virgini, nihil nobis antiqui Patres tradidere; quae tamen gravissimi doctores iu id scripserunt, breviter referam, et quae sit meo iudicio verosimilior sententia, aperiam. Quidam putarunt cum d. Antonino (4. *p. sum. The.*), et Alberto magno (*super missus*), et Clysobeo (*lib. de annun. cap.* 3.), Virginem salutatam matutino tempore: quod coniiciunt, tum ex eo, quod illo tempore mens humana ad divina percipienda idonea magis, et apta inveniatur; in cuius figuram (*l. Exodi* 16) legimus, manna in castra matutino tempore descendisse; tum quia, ut d. Hieronymus (*de assumpt. Virg.*), et s. Germanus (*de praesen. Mariae in templo*) affirmant, b. Virgo solita erat illam matutinam diei partem usque ad horam tertiam contemplationi sacrare.

Alii cum Illuminato doctore (*Franc. de Mayron*) putant, factam fuisse angelicam salutationem vespertina hora completorii; tum quia in ea hora legimus, Rebeccam, quae typum Virginis gessit, salutatam fuisse a nuntio Abrahae sibi misso, ut eam acciperet in sponsam filii sui; sic enim ait sacer textus (*Gen.*24): *Vespere, eo tempore, quo solent egredi mulieres ad hauriendam aquam*: tum quia, ut illi opinantur, sol illa hora fuit creatus; ut enim homo tamquam excellentior reliquis animalibus, factus est post omnia illa, ut legimus (*Genes.*1.); ita et sol luminare maius post omnia luminaria, atque adeo hora serotina: congruebat ergo, ut eadem hora Sol iustitiae Christus Dominus formaretur. Addit tamen Illuminatus Doctor, in quo alii dissentiunt, quod collocutio inter b. Virginem, et angelum coepit vespertina hora, in qua ipsa fuit ab angelo salutata, et duravit usque ad horam matutinam, in qua et consensum praestitit, et Filium Dei concepit, et angelus discessit; favetque huic sententiae usus Ecclesiae, quae hora vespertina, et matutina signum praebet ad Virginem salutandam: quem ritum, ut in vita sancti Bonaventurae refertur, Seraphicus Doctor auctoritate apostolica introduci fecit.

Alii tandem cum d. Athanasio (*ser. de Deip.*), et cum Simeone Cassiano (*in Comm. Evan.*), quem secuti sunt Barradius (*tom.*1. *lib.*7.), doctor Suarez, Coelestinus, et permulti alii, docent salutationem Mariae, et conceptionem Christi media nocte completa celebratam fuisse; quam sententiam, quia veriorem iudico, variis coniecturis in hunc modum confirmo. Primo, quia sicut media nocte Deus populum suum a tyrannica Pharaonis captivitate eduxit; et sicut media nocte Gedeon Madianitas devicit, et in fugam abire compulit; et sicut media nocte angelus Domini primogenita Aegypti interfecit; ita decuit, ut figura responderet figurato, media nocte concipi Christum, qui genus humanum a diaboli servitute eruere, principem tenebrarum fugare, ac inordinatos carnis appetitus interficere venerat. Secundo, quia media nocte Verbo divino humanam carnem suscipiente, magis divina misericordia se ostentat, cum summum omnium incarnationis beneficium

hominibus summa oblivione captis, et in utramque aurem dormientibus, liberaliter conferret. Tertio, quia hora illa mediae noctis, propter eius secretum, quietem, et silentium, aptissimum tempus erat, ut in ea abditissimum hoc mysterium fieret; maxime cum b. Virgo solita esset in secretiori domus suae loco maiorem noctis partem in contemplatione transigere; unde Simeon Cassianus dixit: *Nox appendebatur ex medio, nec adhuc Virgo sua membra in quiete collegerat, vigilantem angelus invenit.* Quarto, quia nativitas Christi Domini fuit media nocte, ut non obscure mihi videtur indicare Lucas (*c.*2): nam postquam dixisset: *Peperit filium suum primogenitum:* continuo subiunxit: *Et pastores erant in eadem regione vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Unde orta est ecclesiastica traditio sacrificium offerendi in illa nocte ex decreto Thelesphori Papae, quod et notavit Damasus Papa in suo pontificali: igitur ut Christus Dominus, per integros novem menses, more aliorum infantium in utero matris delitesceret, oportebat, ut media nocte conciperetur: quod et indicant verba illa Sapientiae (*c.*18.): *Dum nox in suo cursu medium iter peragerret, omnipotens sermo tuus Domine de coelo a regalibus sedibus venit*: proprius enim dicitur, Verbum de coelo, et de sinu Patris descendisse per incarnationem, et per ingressum in uterum Virginis, quam per egressum nativitatis ab illa in hanc lucem. Atque forsan ad hoc significandum antiqui Patres divino instinctu permoti, mediae noctis tempore Christi adventum efflagitabant, iuxta illud Davidis (*Psal.*118.): *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuae;* quem morem imitati christiani coenobitae, quasi sacram illam conceptionis, et nativitatis Christi noctem religiose venerantes, media nocte ad divinas laudes canendas somni quietem interrumpere consuevere. Quod autem in Ecclesia catholica hora serotina signum ad salutandam Virginem fiat, nihil huic sententiae officit: nam cum hora mediae noctis homines somno vacent, convenienter debuit anticipari tempus ad Virginem salutandam. Ex eo etiam, quod matutino tempore consueverit simile signum fieri, nullum firmum argumentum desumitur, cum etiam meridiano tempore fiat. Unde cum omnimoda certitudo non extet circa tempus determinatum angelicae salutationis, ter apud fideles eius signum fit, quia verosimile est, in altero illorum salutatam fuissse Virginem; atque haec de circumstantia temporis sufficiant.

Ut tamen de loci circumstantia acturi, debitum ordinem servemus, a provincia ipsa exordiamur. Hanc testatur sacer evangelista, Galilaeam fuisse, in quo non pauca sacramenta latent, quae nos oportet diligenter detegamus. D. Hieronymus (*de nominin. ebraicis*) quadruplicem Galilaeae interpretationem nobis tradidit, incarnationis mysterio apprime congruentem; prima est, quod *Galilaea* idem est, quod *transmeans*: quae significatio consentanea satis esse perhibetur Verbi divini incarnationi, cum per illam natura humana, quae ex conditione sua non aliud, quam suppositum creatum sibi vindicabat, per assumptionem ad Filii Dei personam, et ad increatum suppositum transmeaverit, Apostolo dicente (*Hebr.*2.): *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae.* Secundo *Galilaea* interpretatur *volubilis:* quod eidem mysterio recte congruit: nam sicut in motu, quo volvitur aliquod mobile, motus finis coniungitur cum principio; ita Verbi divini incarnatione, natura divina, quae prima est in omni genere perfectionis, copulata fuit cum natura humana, quae ultima est in genere substantiae intellectualis; unde Christus Dominus dixit (*Apo.* 1.): *Ego sum alpha, et omega*, idest, *principium, et finis*: principium quidem, quatenus Deus; finis vero, quatenus homo, quia ultimus omnium creaturarum productus fuit. Tertio interpretatur *Galilaea*, ut idem valeat, quod *rota:* rota sane, utpote circularis figurae, quae principii, et finis expers est, Deum aeternum, absque principio, et fine apte designat; unde Trimegistus philosophus, id referente Alexandro Alensi (3. *p. sum. trac. de convent. Incar. q.*2.), non aliter Deum scribendum putavit, quam dicens: *Deus est circulus, cuius centrum est ubique, et circumferentia nullibi.* Hoc etiam mirabile, ac stupendum incarnationis sacramentum mirifice commendat: nam dum rota divinitatis quadrata, carni humanae, quae ex quatuor humoribus constat, hypostaticae unionis vinculo copulatur, certe supra totam mathematicam facultatem circulus quadratur; cuius tamen quadraturam nesciens Virgo, quomodo ad praxim reducenda esset, angelum interrogavit (*Luc.*1): *Quomodo fiet istud?* cui non aliam nodi illius solutionem adhibere putavit, quam ad Spiritum sanctum eam remittere (*ibid.*): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quarto interpretatur *Galilaea*, ut idem polleat, quod *transmigratio:* quae significatio multiplicem, ac mirabilem transmigrationem, et mutationem per incarnationis mysterium in mundo causandam, egregie nobis ob oculos proponit: nam praeter transmigrationem Filii Dei de sinu Patris ad uterum matris, iuxta verba Christi Domini (*Ioann.* 16): *Exivi a Patre, et veni in mundum*, sane postquam: *Verbum caro factum est*, facta est transmigratio, et mutatio ab ignorantia ad scientiam, a culpa ad gratiam, ab umbra ad veritatem, a servitute ad libertatem, a timore ad amorem, a legis gravitate ad servitutem, ab austeritate ad benignitatem, a synagoga ad Ecclesiam, ab idololatria ad verum cultum, ab ira ad clementiam, a vindicta ad remissionem, a poena ad praemium, ab odio ad amorem, a morte ad vitam, a servitute ad filiationem, a bello ad pacem, a tristitia ad gaudium, a sceleratis tandem ad iustos, a filiis diaboli ad filios Dei, Ioanne id attestante, qui postquam dixerat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, continuo subiunxit rationem: *Et Verbum caro factum est:* illa enim copulativa *et*, iuxta phrasim Scripturae, plerumque est causalis, et tantundem valet, quantum, *quia;* sensus est: *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri*, quia, *Verbum caro factum est:* ecce magnam rerum mutationem, per quam antiqua omnia nobis nociva intuemur in bonum mutata, iuxta illud Apostoli (2. *Cor.* 5): *Vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova.* His quatuor interpretationibus *Galilaeae* alii quintam addunt, ut significet idem, quod *revelatio:* quae si vera est, censeri non debet ab incarnationis mysterio dissentanea, cum revera in angelica salutatione facta fuerit supremi omnium secretorum manifestatio: Verbo enim divino, quod in principio erat apud Deum, et lucem habitabat inaccessibilem, quem nemo vidit umquam, visibilem carnem assumente: *Vidit omnis caro salutare Dei nostri;* salutare, inquam, quod librum obsignatum aperuit, signacula eius solvit, et omnia quaecumque audivit a Patre, nota fecit nobis: ecce secretorum revelationem. Latet etiam in *Galilaeae* provinciae nominatione aliud sacramentum: quia cum Galilaea regio quaedam esset, quam indifferenter incolebant tam Hebraei, quam Gentiles; significare voluit Spiritus sanctus, Verbum carnem fieri, ad salvandum utrumque populum, et copulandum illos in unum, iuxta illud (*Ioann.* 10): *Fiet unum ovile, et unus pastor:* habitasse autem in illa tam Iudaeos, quam Gentiles, constat clare, partim ex verbis evangelistae dicentis, Mariam, et Iosephum, qui Hebraei erant, ibi commorari, partim autem ex Isaia, qui de eadem regione loquens, ait (*Isai.* 9): *Aggravata est via maris trans Iordanem, Galilaeae gentium:* ecce Gentiles etiam ibi commorabantur; unde d. Bonaventura (*super cap.* 1. *Lucae*) dixit: *Erat autem Galilaea confinis Iudaeorum, et Gentium.*

Diximus hucusque de provincia Galilaeae, nunc de civitate, in qua facta est coelestis haec legatio, dicamus. Sacer evangelista ait, hanc fuisse Nazareth: pro cuius loci intelligentia observandum est, ut adnotarunt d. Cyrillus Alexandrinus (*lib.* 2. *contra Iul.*), et d. Hieronymus (*de loc. hebraic.*), duplicem esse Galililaeam; unam inferiorem, alteram superiorem; unam versus meridiem, alteram versus septentrionem; unam quam habitabat tribus Zabulon, alteram quam incolebat Nephtalim; unam mari Tiberiadis proximam, alteram Tyro, et Sidoni vicinam, a cuius finibus, refert Matthaeus, egressam fuisse Chananaeam: ut ergo evangelista significaret, angelum missum fuisse non ad superiorem, sed ad inferiorem Galilaeam, propterea nomen civitatis Nazareth expressit, quae in illa erat provincia. Arbitror voluisse Christum Dominum non in suburbio, non in deserto, aut in solitudine, sed in civitate concipi; primo, quia *civitas* idem est, quod *civium unitas;* Verbum autem divinum eo carnem sibi univit, ut homines sibi, et inter se copularet, et ex utrisque unum corpus faceret; unde Apostolus (*Ephes.*2) Christum Dominum vocavit: *Lapidem angularem, qui facit utraque unum:* vocavit etiam concives eiusdem civitatis (*ibid.*): *Iam non estis hospites, et advenae, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Secundo, ut significaret, *delicias eius esse cum filiis hominum:* et cum illis conversari, iuxta illud Baruch (*c.*3): *Cum hominibus conversatus est:* qui ergo cum hominibus confabulari, et infirmis peccatoribus mederi veniebat, non ad solitudinem, sed ad civitatem, quae et maiori hominum frequentia vigere, et pluribus peccatoribus scatere solet, divertere debebat: unde Albertus magnus (*sup. Missus cap.* 31) dixit: *Christus, non in mari, qui est locus piscium, non in aere, qui est locus avium, nec in campo, qui est locus agrestium animalium, sed in civitate, qui est locus proprius hominum, concipi debuit, qui propter nos, et propter nostram salutem de coelo descendit.*

Sed iam ad Nazareth propius accedo. D. Hieronymus (*de loc. hebra.*) ait: *Nazareth, viculus in Galilaea iuxta montem Thabor; unde et Dominus noster Iesus Christus Nazarenus vocatus est, habetque ecclesiam in loco, quo angelus ad b. Mariam evangelizaturus intravit; sed et aliam, ubi Dominus est nutritus;* haec ille. Episcopus autem Coimbricensis (*sup.* 17. *in Luc.*), Nazaretham, quae ad septentrionem est, quinquaginta quatuor milliariis, hoc est tredecim leucis cum dimidia ab Hierosolymis distantem constituit. Brochardus vero (*cap.*7) tradit, Ierusalem distare a Nazareth leucis viginti septem; cui, cum terram illam percurrerit, fides maior videtur adhibenda. Eruditus auctor Bernardinus de Busto (*quinta parte serm.*3. *de Ann.*) ait: *Nazareth autem est in quadam valle, montibus vallata firmissimis, ubi abundat salvia, rutha, et arthemisia; per salviam sapientia, per rutham iustitia, per arthemisiam bonitas designatur; quae omnia perfecte fuerunt in Filio Dei, rege angelorum. In illo etiam loco extant vestigia cuiusdam ecclesiae, quae fuit a primitivis Christianis fabricata, ante cuius altare adhuc est columna quaedam, quae dicitur media esse inter Virginem, et angelum, quae erat constituta in medio oratorii;* hactenus ille. Quare autem Christus Dominus in Nazareth concipi voluerit, ex eius nomenclatura nonnullas congruentiae rationes eliciunt d. Bernardus (*sup. Missus*), et Albertus magnus; ille enim ait: *In Nazareth annunciatur Christus nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus; nomen igitur civitatis, in qua concipitur, exprimit statum temporis, et finem operis, ad quem venit; cum enim Christus in Nazareth concipitur, iam hyems transiit, tempus innovationis advenit, fructus appropinquavit; omnibus se exhibuit medicinam, confecit sensum, refecit, coronans peccatoribus venit.* Ad haec sane omnia flos ille utilis esse perhibetur, qui de se dixit: *Ego sum flos campi, et lilium convallium.* Albertus autem magnus (*super miss. c.* 33) aliud sacramentum in flore latens aperuit dicens: *Bene in Nazareth conceptus fuit, quia sicut flos de flore sine mixtione, de matre, salco virginitatis decore, processit.* Illuminatus doctor (*Franc. de Mayron sup. miss.*) sex tradit Nazareth interpretationes; ait enim significare *sanctitatem, consecrationem, unctionem, munditiam, custodiam, et florem:* quae omnia quam plene in Christum conveniant, nemo est, qui non videat: cum et ipse sit totius sanctitatis auctor; in utero matris ab instanti suae conceptionis Deo consecratus; divinitatis unctione delibutus; munditiae fons perennis; ac virgineae integritatis matris suae diligentissimus tandem custos extiterit. Inter omnes autem has appellationes interpretatio *floris* principatum obtinet, et Christo egregie congruit Primo propter sanctitatis eius miram

suaveolentiam, ac inauditam corporis pulchritudinem ; tum quia, sicut flos campi ex solo terrae humore, et coelesti influxu generatur, absque ulla hominis cultura; sic ille ex solo sanguineo Virginis humore, divino Spiritu eam foecundante, ac coelitus influente, absque ulla conceptus fuit opera viri. Secundo, quia sicut nihil flore suavius, ac levius; ita Christi iugo nihil suave magis, ac leve excogitari potest, ipso dicente (*Matth.* 11) : *Iugum meum suave est, et onus meum leve.* Tertio, quia sicut flores fructus spem nobis praebent ; unde flos spei symbolum olim extitit, ut tradit Pierius; ex quo antiqui Romani, ut spem describerent, lilia duo depingebant cum hac subscriptione: *Augusta spes;* ita Christus Dominus, de cuius temporis adventu praedictum fuerat (*Cant.* 2): *Flores apparuerunt in terra nostra,* humanam carnem assumens, certam nostrae salutis spem nobis tradidit. Quarto, quia sicut ex floribus virtute ignis variis morbis medendis salutiferi valde liquores exprimuntur; ita ex sacro Christi corpore, lanceae mucrone percusso, exivit uterque liquor, sanguis, et aqua ad humani generis sordes abstergendas, et peccatorum vulnera sananda. Quinto, quia cum Nazareth interpretetur *flos*, et Maria candidus flos lilii sit, *quasi lilium inter spinas:* et tempus etiam conceptus Christi fuerit, quo flores terrae erumpere solent, congruebat quidem ipsum et tiam *florem* esse, et *floridum* vocari, ut sic florem in flore, de flore inter flores carperemur. Unde Bernardus (*super missus*) Nazareth vocaflorigeram patriam ; nobisque ad eorum imitationem, qui Florentiam laudantes cecinerunt:

Florida florenti floret Florentia flore,

licebit nunc dicere de Nazareth:

Florida florenti floret pulcherrima flore.

Ultimo tandem, *floris*, ac *floridi* nomen Christo Domino apte adeo congruit, ut spinae quoque coronae illius, et clavi, flores sint suavissimo odore fragrantes, ex quibus devotae mentes, velut apes argumentosae, dulcissimos favos melliflui amoris elaborant, florida serta contexunt, odoriferosque meditationum myrrhae fasciculos, qui inter ubera sua commorentur, sibi conficiunt. Atque hinc colligere licet, quantum honoris, et gloriae Nazareth, Christi in ea facta conceptione, sibi comparaverit: cum enim adeo abiec'a, et ab omnibus despecta esset, ut Nathanael diceret (*Ioann.* 1): *Numquid a Nazareth potest aliquid boni esse?* tantum ei Christi conceptio nominis splendorem contulit, ut Hieronymus florem Galilaeae illam vocet : immo et Andreas hierosolymitanus episcopus (*ser. de annunc.*), terrestri paradiso illam conferat dicens: *Nazareth Eden hortum aemulata, ipsius Eden conditorem sinu suo complectitur.* Verum mihi videtur Nazarethae merito invidere potuisse paradisum terrestrem, cum hic lignum vitae, ibi auctor vitae; hic fons aquae in terram decurrentis, ibi fons aquae salientis in vitam aeternam; hic terrenus Adam, ibi coelestis; hic praevaricator, ibi reparator; hic naturam humanam inficiens, ibi genus humanum redimens formatus fuerit; hic Maria, ibi Eva; illa obediens haec inobediens; illa virgo prudens, haec fatua; illa humilis, haec superba; illa sobria, haec intemperata ; illa ab angelo evangelizata, haec ab angelo decepta; illa mundi saluti consensum praebens, haec eius perditioni consentiens affuit. Quod si, ut Mantuanus poeta dixit (*in Bucolicis*):

Dulcis amor patriae.

et Ovidius (*lib.* 1. *de Ponto*):

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec sinit esse sui:

quis non videat magnam Nazareth laudem esse, quod Christus Dominus singulari dilectione prae omnibus aliis urbibus eam, tamquam propriam patriam, adamaverit? Deinde, si ut Aristotoles inquit (*lib.* 1. *Polit. cap.* 1): *Videmus omnem civitatem esse societatem quandam, et omnem societatem boni alicuius gratia constitutam;* facile inde inferam, Nazareth opulentissimas quasque totius orbis civitates longo intervallo antecellere, cum gratia tanti mysterii, quale incarnationis sacramentum in utero Mariae celebratum esse perhibetur, a Deo optimo maximo structa fuerit, tamquam futura Filii sui chara patria. Quare, si Aristotelis patria ab historiographis, quod tantum produxerit philosophum, multis encomiis celebratur; et si ob Alexandrum magnum in Macaedonia natum, miris illa effertur laudibus; ac tandem si Roma, propter suos Caesares, Scipiones, et Catones, quos tantopere ipsa iactabat, tantum honoris nacta est; quid quaeso splendoris, quid honoris, quid immortalis gloriae inclyta Nazareth non nanciscetur, dum Christi, humani generis Redemptoris, legitimam patriam esse, et ab ea Nazaraei appellationem mutuasse merito gloriari possit? unde d. Matthaeus dixit (*c.*2): *Habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur:* in cuius loci expositionem d. Hieronymus (*sup. Matt.*) ait: *Omnes ecclesiastici quaerunt, et non inveniunt, ubi id scriptum sit* ; multos tamen lego, qui id se invenisse putant: nam in primis divus Chrysostomus (*ho.* 9. *in Matth.*), postquam rei difficultatem ingenue fassus fuerat, immo ab eius investigatione nos deterruisset, dicens: *Neque in huiusmodi fueris curiosus;* tandem docet, quod tempore captivitatis populi hebraei in terra Aegypti, nonnulla prophetarum volumina, Hebraeorum negligentia, aut Aegyptiorum malitia penitus abolita fuere, in quibus Messias Nazaraeus nuncupabatur; atque eo respexisse Matthaeum, dum ait (*Matth.*2): *Ut impleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur.* Hanc expositionem acceptant, praeter Chrysostomum, Athanasius (*in fine sui simbol.*), et Euthymius (*super Matth.*). Isidorus (*in annotat. Biblia* 3. *expositi.*) autem longe diversam viam ingressus, ait: nihil aliud indicas se evangelistam per verba illa: *Dictum est per prophetas*, quam per prophetarum expositores declaratur, qui horum arcana suis scholis aperiunt. Alii vim facientes in interpretatione huius nominis, *Nazaraeus* quod iuxta sententiam d. Hieronymi *sanctum* significat, dicunt, quod cum omnes prophetae uno ore *sanctum* vocitent Christum Dominum, eiusque sanctimoniam variis modis attestentur, evangelista quidem magis ad internum sensum, quam ad externam vocem attendens, verba illa scripsit: *dictum est per prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur:* fundaturque haec expositio in doctrina sancti Hieronymi, qui (*epist. ad Pammach.*) ait: *Non est fixum in Scripturis, quantum ad verba, sed quantum ad substantiam.* Praeter has tamen expositiones, hae, quae sequuntur, nobis magis arrident. Quarta expositio sit, quod cum evangelista ait: *dictum est per prophetas*, non refert vaticinium aliquod a prophetis scriptum, sed oretenus prolatum, ut satis indicant verba illa (*Matt.* 2): *Ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas*, non dixit: quod *scriptum est*, sed, *quod dictum est:* multa enim huiusmodi habentur per traditionem : unde sicut non omnia, quae Christus dixit, nobis scripta reliquere evangelistae, ita non omnia, quae prophetae locuti sunt, scripturae demandata fuerunt. Quinta expositio plausibilis valde, quam permulti amplectuntur moderni cum Angelo Coelestino (*super Missus est Angelus*), qui ex originali hebraeo huius intelligentiam venari conatur, ait, apud Isaiam prophetam, Christum Dominum *Nazarenum* vocari; nam ubi latinus interpres vertit: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet*, Iectio hebraea habet: *et Nazaraeus de radice eius crescet:* Matthaeus enim hebraeo idiomate suum scripsit evangelium; unde d. Hieronymus (*in Catal. de script. eccles.*) de Matthaeo loquens ait: *Ubicumque evangelista veteris Scripturae testimoniis utitur, non septuaginta translatorum auctoritatem sequitur, sed hebraicam;* idque exemplificavit opportune satis ad praesens institutum, in verbis illis: *Quoniam Nazaraeus vocabitur.* Nec mirandum est, quod evangelista affirmet, dictum esse a prophetis, vocandum fore Christum Nazaraeum, cum tamen solus Isaias cognomine hoc illum compellarit, quia, ut observavit divus Augustinus (*lib.* 3. *de consen. Evang. ad c.* 16), moris est in sacra Scriptura, numerum pluralem pro singulari, et e contra usurpari. Sexta tandem expositio sit, quod in praecitatis locis, quibus Ioseph, et Samson, Nazaraei vocantur, id de Christo intelligitur, quem ipsi, tamquam eius typi, adumbrabant: ut enim docuit d. Augustinus, et Leocastrensis (*supra* 11. *c. Isai.*), quando in sacra Scriptura de aliquo quidpiam dicitur, qui fuit figura Christi Domini, et id cum historiae veritate minime ei convenit, intelligendum est ad literam de Christo: unde, cum in Genesi (*c.* 49) dicitur: *Fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos,* id de Iosepho non tam apte intelligi potest, quam de Christo, qui, ut explicat ibi d. Ambrosius, habuit gratiam capitis, ut in omnes fratres suos fideles eam effunderet; et cum in Deuteronomio (*c.*33) dicitur: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, et super verticem Nazaraei,* huiusmodi benedictio Iosepho aptari minime potest: quia, ut ibidem adnotarunt divus Ambrosius, et Procopius, quando illa prolata fuit, iam Ioseph obierat: quare reliquum est, ut de Christo intelligenda veniat. Ac tandem, cum Samson Nazaraeus appellatur (*Num.*6): *Nazaraeus vocabitur ab utero*, de Christo debet intelligi; nam, ut constat clare ex *Numerorum* 6. nemo poterat esse Nazarenus ab utero matris suae; nam in Nazarenorum numero non redigebantur, nisi qui ex voto se consecrabant, et a certis cibis se abstinebant, et ad ostium tabernaculi adducebantur, ac pro eis certa holocautomata fiebant : id etiam, quod sacer textus (*Iud.*13) addit, scilicet, quod *Samson erit Nazaraeus usque ad diem mortis suae*, minime ei convenire poterat, quia revera Nazaraei dignitatem, antequam moreretur, amisit, cum caesaries ei abrasa fuit, a cuius capillis fortitudo eius dependebat: ac tandem, quia Nazaraeus non poterat morticinum tangere, Samson autem quamplurimos ex illis, quos interfecit, tetigit. Cum ergo Ioseph, et Samson nominantur *Nazaraei*, non ipsi, sed Christus hoc nomine cohonestatur. Ceterum, quia *Nazaraeus*, ut supra dixi, *florem* significat, hinc singularem quandam felicio rationem, ob quam Ioseph, et Samson Christum Dominum praefigurarunt; hi enim duo insignes viri fuerunt, velut flores, qui ut fructus maturescat, oportet ut decidant, et vitam, quam ab arbore mutuant, amittant: dum enim hi iuvenes floruerunt, populus eorum de inimicis victoriam non tulit, illis autem decidentibus, et vita functis, populus hebraeus in dies multiplicari coepit, et Philisthaei misere perierunt: quia ergo Christus Dominus flos erat de radice Iesse, oportuit, ut decideret, et vitam amitteret, ut fructus nostrae redemptionis maturesceret, idcirco convenientissime figuratus fuit per Iosephum, et Samsonem, quos *Nazaraeos*, vel *floridos*, tamquam Christi typos, vocat sacra Scriptura. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

Circumstantiam loci angelicae salutationis prosequentes, dignitatem sacerrimae domus Lauretanae, in qua Verbum caro factum est, expendimus ; aliasque circumstantias, angelicam legationem concomitantes, commemoramus; nonnullaque de virginibus necessaria clausura tradimus.

Ut his, quae de circumstantia domus angelicae annunciationis mihi dicenda sunt, plenior fides adhibeatur, profiteor, me nihil in homilia hac dictum, quod ex historiographis, auctoribusque gravissimis non decerpserim : hi autem sunt, Beda (*de loc. sanct.c* 16), Blondus (*lib.* 1. *de Ital. illus. cap.* 5), Baptista Mantuanus (*de Laur. aede et eius orig.*), Leander Albertus (*in sua hist.*), eruditissimus Canisius (*lib.* 5. *de Deip. Ma. cap.* 25), necnon Hieronymus Angelita Recanatensis reipublicae secretarius.